Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35425
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

nunquam vindictam expetiit. Hec caritatem humilitatem paciam vobis relinquo. Deinde postquam multa monasteria construxisset multos libros et utilitates compilasset. Consummatis diebus suis centum lxiiij annos. Anno domini quingentesimo liiij° inter filiorum manus obdormivit in domino.

Quod post mortem cuidam apparuit

Post transitum suum cuidam abbati in quodam monasterio apparuit et ut eum sequeretur amonuit. Qui dum sequeretur vir dei dixit ei. Ecce ad montem libani venimus. et tu hic manebis. ego autem illuc ascendam. Interrogatus ab eo ad quid vellet ascendere. discere inquid volo. Miratusque ille inquit. Quid vis discere pater. cui nullus hodie similis in sciencia inuenitur. Et ille. nulla hic sciencia. nulla veri cognicio. sursum summe plenitudo. sursum veritatis noticia. et in hoc verbo disparuit. Ille autem diem notavit. et fuit sanctum dei Bernhardum de corpore migrasse invenit.

De virtutibus beati Bernhardi

Cum mater Bernhardi adhuc ipsum gestaret in utero. vidit sompnium presagium futurorum. Catellum videlicet totum candidum sed rufum in dorso et latrantem se in utero habere. Quod cum cuidam viro dei exposuisset. Ille prophetica voce respondit. Optimi catuli mater eris qui domus dei custos futurus magnos ut inimicos dabit latratus. Erit predicator egregius et multos medicinalis lingue gracia curaturus.

De obitu Bernhardi

Eodem anno quo de hac vita erat exiturus. die fratribus suis obitus nunciavit. Ante sextum vero diem sui exitus aperiri sibi sepulchrum iubet. Qui mox febribus conceptus sexto die in oratorium se portari fecit. ibique exitum suum percepcione dominici corporis et sanguinis muniuit. atque inter discipulorum manus in beatilia membra sustentatus erectis in celum oculis et manibus stetit et ultimum spiritum inter verba oracionis exhalauit. Ipsa autem die duobus fratribus viri in cella moranti alto longe posito

revelatio eadem monstrata est. videbat namque viam palliis stratam atque innumeris coruscacionibus lapidibus ac stella sancta Benedicti versus orientem usque ad celum tendentem. Quibus venerandus habitu vir desuper clarus assistens et cuius esset via quam cernerent inquisivit. Qui cum se nescire dicerent ait. Hec est via qua dilectus domini benedictus celum ascendit. Floruit circa annum quingentesimum xviij tempore Justiniani imperatoris

De monacho Ribaldo nota de

Monachus quidam qui in seculo ribaldus fuerat. atque lusor maligno spiritu stimulatus ad seculum redire voluit. Cum autem cum beatus Bernhardus retinere non possit. interrogavit unde victurus esset. respondit. Ad taxillos ludere scio. et inde vivere potero. Et ille. Si tibi capitale commisero vis singulis annis ad me redire et lucrum mecum dividere. Quod ille audiens gavisus et se libenter sic facturum promisit. Bernhardus autem xx solidos ei dari precepit. et ille cum illis abiit. Hoc autem faciebat vir sanctus ut eum iterum revocare posset. sicut et postmodum factum fuit. Ille igitur abiit perdidit totum et ad portam monasterii confusus rediit. Quo audito vir dei letus exiit extenditque gremium ut secum divideret lucrum. Cui ille. Nichil pater lucratus sum. sed et capitali vestro mutatus sum. si voltis pro capitali meo recipe me. Cui Bernhardus benigne respondit si ita est inquit. melius est ut hoc recipiam quam utrumque simul perdam.

Quod latronem de patibulo liberans monachum fecit.

Cum vir dei Comitem Theobaldum pro quibusdam negociis adiisset. et oppido ubi tunc erat obviam habuit turbam hominum copiosam qui iubente Comite latronem famosissimum ad supplicium trahebat. Quo viso clementissimus pater apprehenso manu loro quo miser erat astrictus tortoribus ait. Dimitte mihi sicarium istum. ego enim volo eum ipse suspendere manibus meis. Cum autem comes ei occurret eo